



13  
SE PULTURA

VETERUM.

1648 13  
five

DE ANTIQVIS RITIBUS SE-  
PULCHRALIBUS

Romanorum, Græcorum,  
Judæorum & Christianorum

DISPUTATIO SEPTIMA.

*Quam*

D. O. M. A.

PRÆSIDE

M. JOH. ANDR. QVENSTEDT.

QVEDL. FACULT. PHILOSOPH.

ADJUNCTO,

*Publicæ Ventilationis subjicit.*

PTOLOMÆUS Sanghorsi/  
Oldenburgensis.

*Ad diem 2. Decembr. horis matutin.*

In Auditor. Philosoph.



WITTEBERGÆ

Typis MICHAELIS Wendt / Anno MDCXLVIII.







## CAPUT XII.

### De Sepulcrorum Religione.



Quantâ religione ergâ defunctos suos, eorumque tumulos seu conditoria Gens qualibet per orbem humanum ducta fuerit, quæ modo Diogenianâ illâ ac plus quàm beluinâ opinione de contemptu sepultura non effascinata fuit, Historia docent non tantum, sed & vasta LL. volumina. Tholosanus lib. XXXIII. Syntagm. Juris Univers. cap. XXIII. n. 29. *Sepulcrorum, inquit, magna visa est antiquitas religio, ut de illis non minus, imo magis quàm de habitatione, quamdiu vixerint, solliciti fuerint: & caverint, ne ullo modo polluerentur, etiam extraneorum sepulturâ, ut neq. ex gente sua scelestos paterentur sepulcris suis condi. Veluti Octavianus Caesar non passus in suo Juliam, stupris diffamatam, poni, quamvis ei testamento legaverit.* Res hæc nota est ex Suetonio in vitâ Octavii Augusti & Dione Cassio lib. LVI. Besoldus Confid. Polit. Vitæ & Mortis lib. III. cap. I. p. 102. *In pari religione, ait, fuisse corporis sepulcrum & sepulcrum anime corpus. Sanctitatem sepulcris adsignat Cicero lib IV. de Republ. apud Nonium & Philip. IX. Sacra verò vocat Catullus. Sacros morte lapides, Quintilianus declam. X. Aggeres consecratos, Imp. Julianus l. pergit audacia. Propriè tamen Religiosa dicebantur Sepulcra, Sacra & Sancta secundum similitudinem. Verum, non totum solum vel fundus, in quo monumentum erat exstructum, religione tenebatur, sed portio tantum illa fundi, ubi corpus ossave hominis aut reliquiæ conditæ e-*

*Sepulcrorum religio.*



*Violati se-  
pulcri cri-  
men.*

rant & alias sepulcrum dicitur. vide *Frantzium Digesto-  
rum lib. XI. tituli. VII.* Hinc antiquitus quantum terræ  
spatium religioni cederet, designabant, monumentis-  
que inscribebant. Loquuntur idipsum his notis si-  
gnati lapides, IN. FR. P. X. IN. AGR. P. XX. Hoc volunt:  
*In fronte pedes decem, in agrum pedes viginti patere.* Notan-  
ter dixi, *ubi corpus ossave hominis condita erat.* Nam ante-  
quam corpus, vel principale corporis membrum, ca-  
put, (cætera enim corporis membra secluso capite  
locum religiosum non faciebant,) esset illatum, locus  
religiosus non censebatur, sed illatione, eaque legiti-  
mâ demùm fiebat. Unde Cenotaphium, vacuum in quâ  
Mausoleum, quod tantum memoriæ aut honoris cau-  
sâ erectum, propriè, ut tale est, locum religiosum non  
fuisse, vulgare est negotium. Illatio autem eo animo  
feri debebat, ut corpus non ad tempus aliquod in lo-  
cum quempiam deponeretur, sed ut ibidem sepultu-  
ræ causâ perpetuò maneret. Temporalis enim sepul-  
tura non facit locum religiosum, juxta *Paulum 7 Czum.*  
*l. Si quis enim eo animo. 40. D. de Religiosis & sumpt. Fun.*  
Violatæ Sepulcrorum religionis summum crimen stri-  
ctumque habebatur. *Sepulcra violari, cineresq; eorum dis-  
sipari sceleratissimum omnium putabant,* inquit *Turnebus*  
*Advers. lib. XIV. cap. XXI. Lapidem de Sepulcris movere,*  
*terram evertere & respitem evellere, proximum sacrilegio ma-  
jores nostri semper habuerunt,* ait *Imperator Julianus* I per-  
git audacia 5. de sep. viol. Hinc, *Violatio sepulcrorum &*  
*sepulcrorum rerumq; quæ horum sunt, ad crimen sacrilegii perti-  
nere videtur,* inquit *Tholosanus* loc: ante citat n. 1.  
*Lese religionis crimen sepulcri violati est juxta Imp. Gor-  
dianum l. 1. Cod. h. tit. Summæ immanitatis ac scele-  
ris,*



ris, quietem mortuis invidere. l. nemo III. Cod. de E-  
piscop. audient. ubi hæc verborum fulmina; *Nullam  
accipiat vinculorum requiem, qui quiescere sepultos quãdam  
sceleris immanitate non sinit.* Cassiodorus lib. VI. Var. E-  
pistol. IIX. sic scribit. *Defunctorum quin etiam sacram quie-  
tem equabilia jura tue conscientia commiserunt: ne quis vesti-  
ta marmoribus sepulcra nudaret: ne quis columnarum deco-  
rem irreligiosa temeritate presumeret: ne quis cineres alienos  
aut longinquitate temporis, aut voraci flammã consumptos, sce-  
leratã perscrutatione detegeret: ne corpus quod semel relinque-  
rat molestias mundanas, humanas iterum pateretur insidias.  
Nam etsi cadavera furta non sentiunt, ab omni pietate alienus  
esse dignoscitur, qui aliquid mortuis abrogasse monstratur. Vi-  
de qua tibi commissa sunt, castitas viventium, & securitas mor-  
tuorum.* Loco hoc Cassiodori adductus, simul ad vio- *Violationis*  
lationis sepulcrorum modos transeo. Erant autem illi va- *sepulcrorum*  
rii, in primis religio sepulcri antiquitus violabatur *Ille-*  
*modi.*  
*gitimã cadaveris illatione,* quando scilicet qui jus inferendi  
non habebat, contra vel præter voluntatem Domini  
mortuum inferebat. *Dolosã inhabitatione,* si quis in sepulcro  
dolo malo habitaverit, *edificiumq; aliudve, quã quod sepulcrũ*  
*causã factum sit, habuerit.* l. III. D. de sepul. viol. Monu-  
menti demolitione: si quis sine scientia Domini abstulerit de se-  
pulcro saxa, columnas, statuas &c. l. IV. Cod. De Sepul.  
viol. & Leg. II. D. eodem. *De Sepulcris, nihil est apud Solo-  
nem amplius, inquit Cicero II. de LL. quã, ne quis ea dele-  
at, neve alienum inferat. pœnãq; est, si quis bustum, (nam id  
puto appellari τὸν Βοῦ) aut monumentum, inquit, aut colum-  
nam violarit, dejecerit, fregerit.* Imò lapsa & corrupta  
monumenta reficere non licebat; nisi Pontificis per-  
missu: & eã conditione, ne corpora tangerentur. Tan-  
cum



rum abest, ut sepulcri conditionem deterioreni facere  
permitteretur, ut meliorem non liceret, ut ait *Besoldus*  
*loc: alleg:* Violabatur etiam Sepulcrorum religio *Illati*  
*cadaveris contrectatione*, ut modò celeberrimus quon-  
dam in Acad. Tubing. Antecessor insinuabat, item *Ma-*  
*silatione*, *Spoliatione*. Etsi enim (verba sunt jam lau-  
dati JCTI,) thesaurus, aut pecunia in monumento  
inventæ, religiosa non sit, nihilominus sepulcrum  
violatur, cujus lapis movetur, terra sollicitatur, cespes  
volvitur, pecuniæ sumendæ causâ. *Ossium* deniq; *trans-*  
*latione illicitâ*. Dixi suprà, Corpus ad tempus loco alicui  
commendatum, locum istum non facere religiosum,  
illud ergò aliò transferrilicite poterat. Corpora verò  
perpetuæ sepulturæ tradita, h. e. eo animo in loco quo-  
dam condita, ut ibi perpetuò manerent, non petitâ li-  
centiâ à Principe vel à Pontifice, erui aliòq; transpor-  
tari sine sepulcri violatione non poterant. Vide præ-  
ter innumeros alios *Tbolosanum Synagm. Juris universi lib.*  
*XXXIII. cap. 23. num. 12. 13.* Impetratâ tamen à Magistratu  
veniâ justâque causâ interveniente, translatio institui  
poterat. Sic quandoque corpora præstantium viro-  
rum in loco ignobiliori condita ad celebriora monu-  
menta, vel ex peregrinâ terrâ, ubi fatis concesserant,  
ad avita patriaque sepulcra, magnâ pompâ ac solemni-  
tate solebant portari apud Gentiles. Exemplis id-  
ipsum probat *B. Gerbardus*, avunculus meus desidera-  
tissimus, *tom. VIII. LL. Theol. num. 101.* Antiquissima *ava-*  
*xquid* fuit *Ossium* Josephi, Aegyptii Servatoris, ex Aegy-  
pto in Palæstinam à Mose facta *Exodi XIII. 19.* In Eccle-  
siâ primitivâ Apostolicâ vicinâ nondum receptas fuisse  
translationes reliquiarum, certum esse, inquit jam di-  
ctus



Etus B. Gerhardus loc. cit. n. 120. Sub Constantino Magnō  
autem transferri cœpisse sanctorum λείψανα ex sepul-  
cris obscurioribus ad monumenta celebriora. Idq;  
Constantinum ex Zelo pietatis non malo fecisse, ait  
*Chevnitius Exam Concilii Trid. de Reliq. Sanct. parte IV.* Scri-  
bit *Hieronymus contra Vigilantium*; Constantinum san-  
ctas reliquias Andreæ (primogeniti Apostolorum,) Lu-  
cæ & Timothei transtulisse Constantinopolim. Con-  
stantini factum magno studio imitati sunt & alii. Arca-  
dium enim, narrat idem *Hieronymus*, ossa B. Samuelis  
post tam longum tempus de Judæâ transtulisse in  
Thraciam. *Ruffinus lib. II. cap. XXVIII.* describit transla-  
tionem reliquiarum Johannis Baptistæ, Novi Testa-  
menti prodromi, ex Palæstinâ Alexandriam. Taceo in-  
numera hujus generis exempla alia. Cæterum hæ-  
*μεταθεσις ὁσίων ἐκ τῶν εἰς τῶν* factæ postea sunt super-  
stitionis seminaria, ut latè demonstrat B. *Chevnitius*  
*loc. cit.* aliiq; nostri Theologi. Sed à lineâ evagor, re-  
deundum est in viam. Hactenus modos aliquot, (ne-  
que enim omnes recensere animus est,) quibus sepul-  
cri religio violari potuit, vidimus. Quæ verò pœna  
sepulcri violati reis irrogari solita fuerit, cognoscere *Pœna sepul-*  
cupidum Jurisconsulti plenius edocebunt. Unum sal- *cri violati.*  
tem atque alterum adjicio, ne desiderio hujus rei fla-  
grantem ægrum dimittam. Ex rescripto D. Severi Se-  
pulcri violati pœna est capitalis in eo, qui manu arma-  
tâ cadavera spoliavit: in alio autem, qui sine armis id  
fecit est pœna metalli l. 3 §. adversus 7. D. de sep. viol. *Pau-*  
*lus Fetus* maximi nominis, lege final. seu XI. D. de se-  
pulc: violato: *Rei sepulcrorum violatorum*, inquit, si cor-  
*pore ipsa extraxerint, vel ossa eruerint: humilioris quidem for-*  
*tune*



euna summo supplicio adficiuntur: honestiores in insulam de-  
portantur: aut alias relegantur: aut in metallum damnantur.  
Julianus Imp. l. pergit audacia 5. de Sepul. viol. pœnam  
sacrilegæ statuit in eos, qui lapides sepulcrorum amo-  
vent, terram evertunt, cespites evellunt, qui orna-  
menta quædam è tricliniis vel porticibus eorundem  
auferunt. Ab Imp. Theodosio & Valent Leg. 7. Cod.  
De repudiis, crimen violati sepulcri inter causas rela-  
tum est, cur uxor à marito divortium facere posset, si  
nimirum, sepulcrorum dissolutorem esse probaverit. Illud  
non prætereundum, Hostium sepulcra non fuisse reli-  
giosa apud Romanos, ideò violari sine piaculo pote-  
rant, lapidesque inde sublatis in quemlibet usum con-  
vertere, non erat vetitum. Paulus J. Cris. l. 4. D. d. t. Por-  
rò Græcos Sepulcris suorum tribuisse aliquam religio-  
nem, ipsaque impunè violari non potuisse, vel unicus  
locus Solonis ex Cicerone II. de LL. supra adductus id-  
ipsum demonstrat. Apud Judæos, quanquam inquinari  
polluique censebantur, qui ad loculos defunctorum  
accederet, quippe quibus, ut mortui, sic & illorum re-  
conditoria immunda erant, violare tamen ea, con-  
fringere, &c: nefas putabatur. Imò, Nulla in summâ, (ver-  
ba sunt Tholosani Syntagm. Juris Universi lib. XXXIII.  
cap. 23. n. 29.) fuit Respublica bene instituta, quæ non impro-  
baverit & aliquam pœnâ non castigaverit sepulcrorum violato-  
res propter vitia, quæ animos ad scelus hoc committendum alli-  
ciunt, quia solent effodi, violari & inverti sepulcra ab impiis po-  
tissimum tres ob causas: velut in usus alios rudera & lapides  
transferantur: vel injuria causâ: vel quod vulgarius est; spo-  
liandi mortuos. A Christianis denique primitivæ Eccle-  
siæ, loca, ubi defunctorum corpora ac præcipuè san-  
ctorum



etorum & Beatorum Martyrum reliquiæ compositæ,  
religiosa sanctaque fuisse habita, probatione indiget  
nullâ. Notumq; est, religionem Sepulcris tributam  
demum abiisse in aliquibus locis in superstitionem,  
Eò enim ventum est, ut ipsa sepulcra adorarentur à  
quibusdam, de quâ superstitione conqueritur S. *Augu-*  
*stinus* de Moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. XXXIV. *No-*  
*lite consecrari turbas imperitorum qui in ipsâ verâ religione su-*  
*perstitiosi sunt. Novi multos esse sepulchrorum & picturarum*  
*adoratores. &c.* Imò ipsis Cenotaphiis sanctorum ho-  
minum exhibuisse religionem Christianos veteres ex  
his versibus Prudentii lib. *de sepharv* colligere est:

*Hoc colunt cives, velut ipsa membra*  
*Cespes includat suos & paterno*  
*Servet amplectens tumulo beati*  
*Martyris ossa.*

### CAPUT XIII.

Quod funerationem subsequi consueta ex-  
planat.

**V**idimus hætenus exequiales apparatus, longum-  
que funebrium ordinem pomparum, ipsum Se-  
pulturæ locum consideravimus, ac sepulcra ab o-  
mni parte inspeximus. Jam quid post sepulturam fa-  
ctum sit, restat delibemus. Neque enim defuncto se-  
pulcro illato, à parentationibus cessatum est, sed certi  
quidam dies apud Romanos pariter & Græcos destina- *Dies certi*  
ti erant, quibus iusta mortuis persolverentur. Publi- *parentalibus*  
cè quidem celebrabantur. *Feralia*, Diis Manibus sacrata *destinati.*  
U festa,



festi, à ferendis epulis, vel à feriendis pecudibus sic di-  
cta, ut *Festus* ἐτυμολογῆ. Solemnis & status harum pu-  
blicarum feriarum mensis erat Februarius apud Ro-  
manos. *Cic. II. de LL.* dies ejusdem mensis nonus deci-  
mus. Eodem tempore & Græcos in diversis urbibus  
mortuorum Manibus inferias dedisse annotat *Casau-  
bonus libr. Animadvers. in Athenæum cap. XIX.* Privata ve-  
rò feriæ, quibus defunctis parentare consueverant, di-  
cebantur *Novendiales & Denicales.* Nono post funera-  
tionem die parentalia & sacra funebria concludeban-  
tur. Denicalibus feriis familia funere polluta purga-  
batur certis quibusdam ceremoniis. Parentabatur  
autem Inferiis, Epulis & Ludis. *Inferiæ* erant sacrificia,  
*Inferiæ apud* quæ Manibus offerebantur. Nomen inde manavit,  
*Gentiles.* quòd mortuorum sepulcris inferri solerent. *ἄρτα* à  
Græcis vocabantur à fundendo. Fundebant enim lac,  
mel, aquam, vinum, sanguinem, unguenta. Vide *Tur-  
nebum* lib. IV. *Advers. cap. XX.* Constabant *parentalia hæc*  
*Sacrificia liquoribus* præcipuè ac *casis Victimis*, victimis  
inquam, non ex animantibus tantum, sed & hu-  
manis sæpè. Nam & hoc abominabili, sed spiritibus  
hominum osoribus grato sacrificio defunctorum, in-  
primis illustrium Manibus parentare solebant Pagani,  
ut supra cap. VII. demonstravi. Inferias Manibus de-  
disse Romanos testatur *Virgilius* non uno loco, *Tacitus*  
lib. III. Annal. de funere Germanici, *Cic. Orat. pro L.*  
*Flac. alii.* De Græcis refert id *Theodoretus* De Curatio-  
ne Græcarum affectionum lib. VIII. qui est de Martyri-  
bus p. 541. Edit. Colon: *Quod autem majores vestri, inquit,*  
*etiam libamina defunctis obtulerint, conscii & vos estis, qui nocte in tem-*  
*pestâ præter legum sanctiones, id nunc facere audetis. Sed enim Home-*  
*rûs*



rus quoque testatur. Is enim *Ulysses* inducit *Laërta* filium, *Circe* ita fieri precipiente, egesta terra, in foveam libamina effudisse. — Narrat praeterea quo pacto animarum turba concursu magno festinavit ad ea libamina percipienda. Quid ego autem vobis nunc poeta versus adduco? *Aristocles* enim *Peripateticus* *Lyconem* *Pythagoricum* testem citat, *Aristotelem* *Nicomachi* filium eo ritu mortuae uxori rem divinam facere solitum, quo *Athenienses* Deae *Cereris* faciebant. Hæc *Theologus* vetustissimus. Inferiarum apud *Ethnicos* appendix quasi & corollarium erant coronæ ac flores, quibus tumulum spargebant. *Romani* liliis purpureisque rosis præprimis, sæpè & coronis lanceis, quas tæneas vocabant, *Græci* *Amarantho* ac *Apio* potissimum sepulera conspergebant. Morem hunc *Gentilium* floribus frondibusque ornandi monumenta, antiquiores *Christianos* non fuisse secutos, ex *Minutio Felice* in *Octavio* colligi haud obscure potest. Consuevisse tamen postea super tumbas mortuorum varios flores spargere, videre est ex *S. Ambrosio* Oratione in obitum *Valentiniani* Imp. Non ego, inquit, floribus tumulum aspergam, sed spiritum ejus *Christi* odore perfundam. Spargant alii plenis liliis calathis, nobis libum est *Christus*: hoc reliquias ejus sacro, hoc ejus gratiam commendabo. Et ex *S. Hieronymo* ad *Pammachium*: Ceteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, purpureosque flores & dolorem pectoris his officii consolantur. Succinit *Prudentius* *Christi* Vates suavissimus in hymno Exeq.

Floribus  
sparsa se-  
pulcra.

Nos tecta fovebimus ossa, Titulumque & frigida saxa

Violis & fronde frequenti Liquido spargemus odore.

Suspendebantur etiam in cippis Sepulcrorum lucerna. Masgabæ parentalia multis luminibus tuisse celebrata, docet *Suetonius* in vita *Augusti*. Ex *Aegy-*

Lucerna se-  
pulcris appo-  
sita.



pto Romam migrasse hunc ritum existimat *Kirchman.*  
*lib. IV. de Fun. Rom. cap. IV.* Ita enim Herodotus lib. II.  
*Cui singulis diebus omnifarii odores inferuntur, noctibus per-*  
*petuò incensa lucerna adstat.* Apud Christianos adeò u-  
sitatum fuit ad defunctorum, inprimis autem Marty-  
rum & sanctorum tumulos cereos & lampades accen-  
dere, ut calumniandi inde Orthodoxos ansam arripue-  
rit Vigilantius. Nam apud Hieronymum hæc ejus cri-  
minationes exstant; *Prope ritum gentilium videmus sub*  
*pretextu religionis introductum in Ecclesias, sole adhuc ful-*  
*gente moles cereorum accendi. --- Magnum honorem præbent*  
*hujusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant de vi-*  
*lissimis cereolis illustrandos: quos agnus, qui est in medio thro-*  
*ni, cum omni fulgore majestatis illustrat.* Respondet Pater  
sanctissimus: sese non clarâ luce cereos accendere, sed  
nocte, ut ejus tenebræ hoc solatio temperent & vigi-  
lent ad lumen, concedit interim, quasdam fortè fæ-  
minas propter imperitiam & simplicitatem id facere.  
Confer *Damascenum* Oratione de Fidelibus defunctis.  
Porro, solemne fuit antiquis, cœnas feræles apparare,  
statis & anniversariis sæpè temporibus. Cùm in ho-  
norem ac memoriam defuncti, tum ut pervini cibiq;  
lenimen ejus desiderium levaretur. Ex epulis hisce  
funeralibus quædam inferebantur monumentis, apud  
Paganos. DIS Manibus sacra. Gustare ea, piaculum  
erat. Putabat autem stulta Gentilitas, mortuorum ani-  
mas ab inferis reduces iis vesci & delectari. Repre-  
hendit hunc gentilem infidelitatis errorem, ut ipse vocat  
S. Augustinus sermone XV. de Sanctis: *Miror, cur apud*  
*quosdam infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut*  
*super tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quasi e-*  
*gressa*

*Epule date.*



*gressa de corporibus anima carnales cibos requirant.* Hanc præter *Demonicam cœnam*, ut Tertullianus appellat in de Spectacul. suas habebant Epulas, quas amici ac sanguine proximi ad Charitatum suarum busta inire solebant, *sibi potiùs quàm mortuis parentantes*, ut jam laudatus Doctor, quem Magistri titulo honorabat *Cyprianus*, de Testimonio animæ cap. IV. loquitur. Cœnæ hæc exequiales, quæ quidem privatim instituebantur, *Silicernia* audiebant, de cujus vocis etymo prolixè differentem vide *Kirchman. de Funer. Rom. lib. IV. cap. IV.* Hinc senes capulares, dicti *silicernii*, quasi pro quibus jamjam morituris cœna funeralis paranda esset. unde & paulò pressius sumit vocabulum *Silicernii Alexander ab Alexandro lib. III. Gen. dier. cap. VII.* pro cœnâ vid: ferali, quæ unis senibus & his qui multum ætate processissent, exhibita. Varro, linguæ Romanæ peritissimus: *Funus executi, lautè ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus, i. e. convivium, in quo pransi discedentes dicimus aliis alii, Vale.* Interdum & publicè defuncti heredes, ditiores puta & copiosiores, solebant populum Romanum Convivio excipere, ut in funere Africani Q. Maximus, teste *Cicerone pro Murenâ.* In funere Syllæ Faustus, teste *Dione lib. XXXVII.* In memoriam filiæ C. Julius Cæsar, teste *Suetonio cap. XXVI.* Solebat etiam cruda caro populo distribui, quæ *visceratio* dicebatur. *Livius* id docet non semel. In primis lib. XL. & XLI. itemq; *Blondus libro II. Rom. triumph.* narrat, Publii Licinii causâ, visceratione datâ, gladiatores centum viginti pugnasse, ludos funebres per triduum factos & post ludos demùm epulum datum, quo cum toto foro strata triclinia essent, tempestatem cum multis procellis coortam coë-



gisse, ut in foro tabernacula constituerent. Græci quoque sepulcrales epulas dabant, quas *ἡ δειψα* appellabant & *ἡ δειψα δειψα*. Confirmat id ipsum *Homerus* Iliad. ω. & *Lucianus* in fine libri de luctu. *Triduo post* (verba sunt *Alexandri Sardi Ferrariensis* de *Moribus & Ritibus Gentium* lib. i. cap. XXVI.) *Græci ipsi apparant cenam necessariis, qui coronati lugentes adhortantur, ut cibum capiant, quod cunctanter ipsi quidem faciunt, ne post charissimorum mortem vitam exoptare videantur, quare & sæpius cibum recusat Achilles apud Homerum interfecto Patrocla.* Alexander ab *Alexandro Genial. dier. lib. III. cap. VII. Athenis*, inquit, *per funeri præfectos epulum apud defuncti maxime necessarium dari consuevit.* De *Argivis* verò ait; *Argivorum institutum fuit, ut defuncti affines statim ab excessu Apollinis sacrificent & trigesimo post die Mercurio, Apollinisq; sacerdoti bordenum dent, ignemq; extinguant, & rursus accendant, carnesq; victimarum percoquant, quibus postea vescuntur.* *Scythas* etiam post funus amicos excipientes epulum præbuisse cadaver comitantibus, idem ibidem refert. *P. Bertius* commemorat; permultos in *Livoniâ* (remotiora ab orbe culto loca occupantes) gentili-um ritu vivere, mortuum aliquem terræ mandatu-ros genialiter circa corpus epulari, defunctumque invitare ad bibendum, postea monumento mortui cibum, potum ac nummulos aliquot securimque imponere, his verbis additis; *Abi in alium orbem Teutonibus imperaturus, uti tibi tuisq; in hoc orbe imperarunt.* *Funeralia* hujusmodi convivia apud *Judæos* quoq; usitata fuisse colligi potest ex *II. Reg. III. 35.* insinuat & *Baruch* Prophetæ cap. VI. 31. *Tobie IV. 18.* præcipit *Tobias Senior* filio suo, *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justis*

con-



constitue. h. e. in honorem iusti defuncti & jam funera-  
ti pauperes ciba. *Jerem. XVI. 5.* ita legimus; *Ne ingre-*  
*diaris domum luctus.* (domum convivii funeralis) in He-  
bræo est *פירות*, quæ vox significat convivium fune-  
bre in exequiis mortuorum ad consolandum propin-  
quos mortui parari solitum, notante *Corn: à Lapid. ad*  
*h. l. nec vade ad plangendum, ut sedes cum iis ad comeden-*  
*dum & bibendum.* Ad quæ verba *Hieronimus* in *Com-*  
*mentariis: Eugentibus cibos ferunt, conviviaq; preparant,*  
*quæ Græci ~~εὐδαιμονία~~ vocant, & à nostris vulgò appellantur*  
*parentalia, eò quòd parentibus iusta celebrantur.* Innuithic  
venerandus *Ecclesiæ Doctor* alium *Judæorum* ritum,  
lugentes vid: apud eos non comedisse proprium pa-  
nem. Tradunt enim *Hebræorum Magistri* moris ju-  
daici fuisse; ut propinquis de mortui ac tumulati ho-  
minis convivium appararent vicini & amici, mitten-  
tes eis edulia, cum quòd ipsis non vacaret à luctu epu-  
las parare, tum ut hac ratione eos ad deponendum lu-  
ctum invitarent. Primâ die vivunt de alieno, nil come-  
dentes de suo, inquit *Maymonides H. Efel. sub finem cap. IV.*  
*Buxtorfius Synag. Judaic. cap. 35.* Primâ, inquit, *vesperâ, quæ*  
*luget, cibo suo non vescitur, sed amici accedunt, cibum suum se-*  
*cum afferentes. Ova illi edenda præcipuè mittuntur consola-*  
*tionis ergò. &c.* Similem morem *Ambrosius Leo* lib. III. de  
*Nolâ urbe Italiæ cap. II.* Nolanis tribuit, quem tradit  
his verbis; *Postquàm à funere aditimusq; dimissi sunt filii af-*  
*finesq; defuncti, domum se conferunt, solâ amicorum turbâ co-*  
*mitante, ubi offendunt mensas opiparè paratas. Vicini enim*  
*amicisq; ac affines varias optimasq; dapes eò pramiserant. Di-*  
*scumbitur à cunctis, fiunt colloquia nihil ad defunctum atti-*  
*nentia, sed ea, quæ tristes animos mitigent ac levant.* Transeo  
ad



ad Christianos. Mos n. iste gentiliū deferendi ad sepulcra defunctorum dapes, etiam in Ecclesiam intergentes collectam irrepsit, & cum illo pernitiōsa temulentia pestis. Eō namque intemperantiæ demū ventum est, ut plerique ad sepulcra luxuriosè epularentur, seque ipsos vino quasi sepelirent. Ut S. Augustinus conqueritur lib. de moribus Ecclesie Catholice cap. XXXIV. Novi, inquit, multos esse sepulcrorum & picturarum adoratores. Novi multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant; & epulas cadaveribus exhibentes, super sepulcra se ipsos sepeliant, & voracitates ebrietatesq; suas deputent religioni. confer eundem Sanctissimum Hipponensem Antistitem Epist. LXIV. ad Aurelium. & libro XX. contra Faustum, quibus in locis vehementissime in hunc morem, vel potius morum labem invehitur, cum in Africa contagio ista præcipue invaluisset. Nec tacuit Gaudentius Episcopus Brixienis, sermone IV. Gula sua causa, primum ceperunt homines prandia mortuis preparare; que ipsi comederent: post hoc etiam sacrificia ausi sunt eis sacrilega celebrare. Quamvis nec ipsi mortuis suis minus sacrificent parentalia, dum super sepulcrorum mensas tremulis ebrietate manibus vina fundentes, spiritum balbutiunt. vide & S. Ambrosium Mediolanensem præfulem lib. 2. de Helia & ieiunio. Funebria autem huiusmodi convivia præberi consueverant vel in ædibus privatis, vel etiam publice in ipsis Ecclesiis & cœmeteriis ad charorum tumulos. Quin & anniversarias Martyrum festivitates conviviis celebrabant partim domi, intra privatos parietes, partim quoq; in ipsis Martyrum Basilicis. vide Theodoretum lib VIII. ad Græcos sub finem, S. Gregorium Epist. lib. IX. Epist. 71. ad Mellitum Abbatem. Chrysostomum Homil. in S. Julia-



*Julianum.* Postea, cum desiderarent maximè S. Ecclesiæ  
Dd. ab Ethnicorum stultitiâ & superstitione Christia-  
nos longius recedere, annisu & studio eorum, quorum  
intererat, cōsuetudo ista epulandi, sive in Dominicis, si-  
ve in cœmeteriis, sive quomodocunque ad defuncto-  
rum sepulcra tandem penitùs sublata & ex Ecclesiâ ex-  
plofa est, ita ut posteris temporibus usus ejus nullus  
fuerit. Cautum etiam est in Conciliis, ne ulli in Eccle-  
siis accubitus & convivia instituerentur. In Synodo  
Laodicensi, canone XXVIII. *Non oportet in Basilicis seu  
Ecclesiis, agapen* (sic enim dicebantur hæc & similia con-  
vivia, & maximè quæ in pauperum subsidium appara-  
bantur. Ipseque Judas in Epistolâ suâ agapæ vocem pro  
prandio vel cœnâ usurpat.) *facere, neq; in domo DEI man-  
ducare, vel accubitus sternere.* Similia statuit Concil. Car-  
thaginense III. cap. 150. & Canon Trullianus LXXIV.  
*Alicubi hoc ita reformatum est* (verba sunt B. Chemnitii  
Exam. Concil. Trident. de Purgatorio) *ut in memoriam  
defunctorum, amici cibos & alia donaria in usum pauperum & Clerico-  
rum conferrent, sicut colligitur ex Origene libro III. in Job, & qui con-  
ferebant, vocabantur Sportulantes. Cyprianus lib. 1. Epistol. 9. Po-  
stea tales Sportularum collationes fieri cœperunt, quando celebrabatur  
Eucharistia, & vocabantur Oblationes. Loco viscerationis Gen-  
tilibus usitata, Christiani stipe seu eleemosynâ post cu-  
ratum funus pauperes donabant. Morem hunc in Oc-  
cidentalibus Ecclesiis viguisse refert Hieronymus ad  
Pammachium. De Orientalibus id ipsum affirmat Chryso-  
stomus hom. XXXII. in Matth. Defunctorum etiam ad  
altare Domini in tremendis mysteriis commemoratio  
& commendatio institui cœpit, ut ex Origene, Cypriano,  
Chrystomo, Augustino aliisque constat. Sed hujus rei in*

Defunctori  
commemo-  
ratio & com-  
mendatio ad

X

S. Ca-



altare Do-  
mini apud  
Christian.

S. Canonica Scriptura utriusque Fœderis nec vola est, nec vestigium, h. e. nulla litera, nulla syllaba, nulla dictio, nulla oratio exstat, continens vel doctrinam vel mandatum vel promissionem vel exemplum de oratione pro mortuis, ut loquitur *B. Chemnitius* loc: alleg. Erant ergò Oblationes & Orationes pro defunctis *incerta traditionis consuetudo*, quam post Apostolorum tempora humana illa erga mortuos affectio sensim cœpit in Ecclesiam invehere, & tandem superstitiosa observatio roborare. Quod non diffitetur *Tertullianus*, quando Oblationes pro defunctis *non ex scripturâ sed ex consuetudine fluxisse*, dicit in De coronâ militis. Commemorationi autem recens mortuorum alii destinabant tertium, nonum, & quadragesimum diem ab obitu, alii tertium & trigesimum, alii diem septimum & quadragesimum, ac denique anno vertente eorum memoriam celebrabant. Vide de his curiosè tractantem *Greiserum de Fun. Christ. lib. III. cap. I.* Revertor ad Gentiles, & primò Romanos, qui Funeribus etiam Gladiatores adhibebant. Ipsiusq; muneris gladiatorii causa fuit & origo funus. Sic enim *Tertullianus* de Spectaculis cap. de munere: *Olim, quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos vel malo ingenio servos mercati, in exequiis immotabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaq; quos paraverant, armis, quibus tunc & qualiter poterant, eruditos, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant.* Hæc muneris origo. Et cum eo *J. Lipsius Saturnalium Sermonum lib. I. cap. VIII. Origo gladiatorum à re funebri.* Et postea; *Causa tamen & origo funus.* Ipsi Gladiatores morti sese ob lucrum prostituentes dominis se venundabant, undè *homines ad gladium*

Munus Gladiatorium apud Rom.

6078



*comparare dicebantur, qui tales emebant. Lactantius lib. VI. cap. XII. Unde bestias emis; hinc captos redime, unde feras pasces, hinc pauperes ale, unde homines ad gladium comparas, hinc innocentes mortuos sepeli.* Munus autem Gladiatorium primum Romæ datum est, in foro Boario Ap. Claudio & M. Fulvio Cofs. anno ab V. Cond. CCCXC. à M. & D. Junio Brutis, in defuncti Patris memoriam, teste *Valerio Maximo lib. II. cap. IV.* Anno Urbis DLXXX. paria gladiatorum bustuariorum triginta septem dedisse T. Flaminium in funere Patris, idq; ante cætera insigne fuisse munus, refert Livius lib. XLI. His ludis Gladiatoriis (ita enim vocabant cruentos illos congressus. Quo de *Lactantius lib. VI cap. XX. Adeo longè ab hominibus secessit humanitas, ut, cum animas hominum interficiant, LUDERE se opinentur.*) matronis interesse non erat licitum. Eos quidem ludos, inquit *Alexander ab Alex. lib. III. cap VII.* apparatu magnifico continuis IX. diebus, in hisq; gladiatorum paria, qui venalem sanguinem habebant, Romani exhibuere: ad quos intromitti matronas nefas habitum. Idque adeo usu & moribus interdictum fuit, ut P. Sempronius uxori, quod ludis funebribus interfuisset, repudium dederit. Primis quidem temporibus in Imperatorum & Primorum duntaxat funeribus præberi solebant Gladiatorum spectacula. Hæc q; per triduum aut quatrimum durabant, ut ex *Livii Lib. XXIII. XXXI. XXXIX.* aliisque constat (ut ita falli videatur *Alexander ab Alexandro* qui novem continuos dies ludos ejusmodi exhibitos fuisse modo dicebat.) sequenti verò ævo etiam à privatis hominibus dari cœperunt gladiatores, quod Lipsii potius verbis docebo, sic enim ille loco supra alleg.



leg. Hæc certamina primò in honorem Imperatorum procerumq; Sed paulatim, ut solet, res increbuit; & à tenui canali in mare quoddam (fas sic loqui) excrevit editionum. Dare enim ceperunt vulgò etiam privati & pleriq; eà curâ in testamentis. Cavebant, inquam, post mortem suam tot & tot paria sibi edi. Imò vulgò; addit, eò mos invaluit, ut ditiori aliquo mortuo, populus munus efflagitaret, velut debitum & ex prescripto legis. Nec viris hic honor habebatur solum, sed & fæminis. Pergat Lipsius. Nec verò in virorum saltè funeribus stetit hic mos: transit etiam ad fæminarum. Dux & autor rei stirps illa Veneris Casar Julius: qui munus populo epulumq; in filie memoriam pronunciauit, quod ante eum nemo, ait Suetonius cap. XXVI. & confirmat DIO. Πη τῆ θυγατρὶ καὶ θυγατρὶ καὶ ἀνδρῶν ὁπλομαχίας ἐπέποιον. h. e. Filie suæ & fæmarum cædes & virorum pugnas exhibuit. Nec dubitate, quin Divi exemplum cupide imitatus sit vulgus. Hæc ita Lipsius, à quo plura ad hanc rem petes, si operæ tibi est. Sustulit Munus Gladiatorium in funeribus dari consuetum Constantinus Imp. Cruenta, inquit, spectacula in otio civitatis & domesticâ quiete non placent; quapropter omninò gladiatores esse prohibemus. Lib. XI. Cod. tit. XLIII. De Gladiatoribus penitus tollendis. Instituerunt & Græci certamina Gymnica & ludos in illustrium ac magnorum virorum funeribus, ut Cicero annotat II. de Leg. & ex Homero & Luciano notum est. Hinc Alexander ab Alexand. Genial. Dier. lib. III. c. 7. Græcis Gymnica certamina & equestria in defuncti memoriam populo dari, servatum est: Nonnunquam navium cursus, & nau-machiam. Divitum sepultura apud Thracas sunt huiusmodi: inquit Herodotus lib. IV. Pro lato triduum cadavere, mactatisq; omnifariis hostiis, condidantur. Illudq; defletum prius, deinde combustum sepeliunt, aut aliter humo contegunt, aggregatq; de super cumulo, cum alia omnis generis certamina

Certamina  
apud Græcos.

Thracas.

pro-



proponunt, tūm præcipuè certâ cum ratione monomachiam.  
Sed relictis hisce barbaris spectaculis, de Epitaphiis, *Epitaphia,*  
quibus Sepulcra exornare consuevit prisca gens mor-  
taliū, tempus me monet ut agam. Inscriptiones hæ  
Monumentorum maximè frequentes erant apud Ro-  
manos, adeò, ut & servorum viliumque capitum tu-  
mulos quandoq; titulis insignirent, quod literati te-  
stantur lapides. Ponebantur hæ *ἐπιτάφια* sive Epita-  
phia in primâ & obviâ tumuli parte h. e. in fronte. un-  
de Virgilius in *Culice*; *His tumulus super inferitur, tūm*  
*fronte locatur Eulogium.* Concipiebantur autem inter-  
dūm prosâ, haud rarò ligatâ oratione. Erantque sole-  
mnia inscriptionum verba: DIS. Manib. Sacr. itemq;  
iis res præclarè gestæ, laudes, familia, ætas, vitæ condi-  
tio, dies obitus continebantur, nonnunquam patria,  
fortunæ, opera, &c. Cujusmodi illud Regis Poëtarum  
Epitaphium est, cujus ipsemet autor perhibetur:

*Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc,  
Parthenope, cecini pascua, ruras, & luces.*

Interdūm causa genusq; mortis; cape exemplum,  
Romæ in Xenodoch. S. hoc exstat epitaphium;

*Hospes disce novum mortis genus; improba felix,*

*Dum teneo, digitum mordet, & interco.*

Elogia in fronte plerumque, honores & res gestas,  
quibus præclarum sibi nomen pepererant vivi, tumu-  
lis inscribi suevissent, docet Cicero II. de Finibus. *Ante*  
*molem res gestæ Augusti, quod ipse testamento mandaverat, ta-*  
*bulis æneis incise erant,* inquit Georgius Fabricius in deli-  
neatione Mausolei Augusti Cæs. cap. XX. Romæ suæ.  
Plutarchus in Sylla; *Monumentum Syllæ in campo Martio*  
*est; Inscriptionem ab ipso ferunt conceptam & relictam, cujus*

X 3

hoc



boc caput est; se neq, ab ullo amicorum beneficiis, neq, ab ullo inimico maleficiis superatum fuisse. Eleganter in rem presentem Pineda in Jobi cap. III. v. XV. num. 5. Juebant, inquit defunctorum Epitaphia consistere paulisper viatores, audire salutaria monita, in memoriam revocare vitam & res gestas hominis defuncti & deniq, de se simile quippiam cogitare, nam quanquam non omnium monumentorum eadem inscriptiones essent, sed illa omnibus communis semper fuisse videtur. MIHI HERI, TIBI HODIE. Eccles. XXXVIII. 23. In hanc sententiam extat Epitaphium Neapoli ad S. Laurent.

Hospes quid sim, vides, quid fuerim, nosti, futurus ipse quid sis, cogita.

Unum omnes docti indoctiq;, opulenti ac pauperes habent Epitaphium, quod illis Moses scripsit; ET MORTUUS EST. Gen: V. Bene vixisse, pulcherrimum omnium Epitaphium est. Magna interim & singularis gratia est Epigrammatum eorum, quæ Veteres maximam partem veræ pietatis ignari, ex ipsis animi sui penetralibus eliquata, quisque charissimorum pignorum conditoriis inscripsit, nec sine gemitu & interdum vel lacrymis ea legere possumus, adeo intimos sensus recordatione communis fragilitatis percellunt, ut inquit Barthius lib. V. advers. cap. XIII. Sed nolo hic ejusmodi Cipporum titulis chartam complere, ne & lectori tedium; mihi autem laborem haud necessarium paream. Apud Græcos etiam Epitaphiorum usum fuisse, supervacaneum puto, ut probe, parcius tamen iis usi sunt Lacedæmonii. Epitaphium carmen (inquit Ludov. Cæl. Rhodiginus Lætion: Antiq. Lib. XVII.) quo exprimeretur nomen, indere haud fuit fas (apud Spartanos) ni vir is in bello esset strenuè perfunctus. Idq, ex Lycurgi instituto. Danorum



rum etiam antiquiores non tantum tumulos suorum  
lapidibus literatis seu Epitaphiis exornasse, sed etiam  
victoriarum & rerum præclarè gestarum trophæa &  
arcus quasi triumphales, patriis, hoc est, Runicis literis  
insignitos, ad posteros transmisisse, refert Olaus Wor-  
mius de Mon: Danic: lib. I. cap. XIII. & XIV. Exuviis  
etiam hostium, armisq; non Romani solum, sed &  
Gothi sepulcra sua ornabant, vide *Plac: Lactantium ad*  
*lib. XII. Thebaid. Statij* & jam dictum *Olaum VVormium Mo-*  
*num. Danic: lib. I. cap. VI.* Apponi etiam solebant ad mo-  
numenta Heroum militaria signa, tanquam laudis &  
virtutis trophæa, inquit *Polydor. de rerum inventione lib.*  
*VI. cap. 10.* Innuit hunc ritum etiam Seneca lib. IV. Con-  
troverf. IV. *Bellum cum esset in civitate, vir fortis, in acie a-*  
*missis armis, de sepulcro viri fortis arma sustulit. Fortiter*  
*pugnavit & reposuit. Premio accepto accusatur sepulcri vio-*  
*lati.* Redeo ad Epitaphia, quæ non admodum curare  
Judæos, dicit Schickardus de Jure Regio Hebræorum  
cap. VI. *Ita neque curant (inquit) an vel qualia ipsis Epita-*  
*phia erigamus. Laudo Maymonidem, qui censet, famam rectè*  
*factorum, quæ in v. d. posteritatis memoriâ perennat, esse splen-*  
*didissimum Mausoleum, quo vis marmore durabilis, quâ vis sta-*  
*tuâ pulchrius.* Subjicit verba Maymonidis & post  
ea ait. *Nude tamen inscriptiones nominum & annorum non*  
*improbantur, quia historias & chronologiam juvant.* additq;  
hujus rei exemplum aliquod fæmineum. Clausula ha-  
rum inscriptionum plerumque erat; *Sit anima ejus in*  
*Paradiso: Anima ejus collecta sit in borto voluptatis Amen, A-*  
*men, Amen, Salab. item; Sit anima ejus colligata in fasciculo*  
*viventium, vel Tu titulus es sepulcri Elia filii Salomonis, qui di-*  
*scesit in paradysum Eden, primâ die mensis N. Anno. N. Vide*  
*jam*



jam dictum *Schickardum*, *David*, *Cbytraum* de Morte & vitâ aternâ p. 106. B. *Gerhardum* Loc: VIII. de Morte §. 84. Sepulcris inscriptiones addere usitatissimum quoq; fuit apud Christianos. Loquuntur id Tempora & cœmeteria passim Epitaphiorum plenissima. *Prudentius* in passione Hyppolyti Episcopi & Martyris:

*Innumeros cineres sanctorum Romulâ in Urbe  
Vidimus &c:*

*Incisos tumulis, titulos, & singula quævis  
Nomina difficile est, ut replicare, queant.*

*Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur  
Martyris aut nomen, aut Epigramma aliquod.*

*Tempus lu-  
tus.*

Unicum nunc id restare videtur, ut de luctûs tempore dispiciamus. Lugere mortuos, magistrâ naturâ, consuetudo tenet omnium gentium, præter nescio quas, quæ puerperia lugent natosque deflent, ac funera contrâ velut sacra lætæ cantu, lusque celebrant. Quanto verò tempore lugendi sint defuncti, diversa fieri non tantum apud diversas gentes, sed apud easdem quoq; diversis temporibus instituta & consuetudines. *De tempore luctûs* inquit *Jacobus Gretzerus* lib. I. de Fun. Chr: cap. ult. *nihil aliud habeo dicere; quàm fuisse incertum tam Ethnicis, quàm Judæis & Christianis.* Apud Romanos lugendi tempus pro conditione, ætate & cognatione hominum, à Numâ Pompilio constitutum est. Puerum trimo minorem in defletum voluit, majores natu tot mensibus lugendos statuit, quot quisq; annos vixisset, neq; tamen ultrâ menses decem. *Longissimum enim luctûs tempus decem mensibus terminavit.* Quod spatium à morte viri viduis quoq; abstinendi præfinitum est, à secundis nuptiis, ut refert *Plutarchus* in vitâ ejus *Gratianus*



11  
tianus verò, Valentinianus & Theodosius Impp. duos  
adhuc menses adjecerunt, integrum annum lugendo  
marito præscribentes, *Leg. II. Cod. De secunda Nuptis.* ita  
quidem, ut ante exactum tempus luctus nubere nemi-  
ni possent, nisi id peculiariter à magistratu impetra-  
sent. Mulieribus ergò, certum luctus tempus defini-  
tum est, quo lugerent, idque annum, non viris. Sic e-  
nim expressè *lex IX. ff. De his qui not. infam. uxores  
viri lugere non compelluntur.* Seneca *Epist. LXIII. Annum  
feminis ad lugendum constituere majores, non ut tamdiu luge-  
rent, sed ne diutius: viris nullum legitimum tempus est, quia  
nullum honestum.* Nec parentibus, liberis utriusque se-  
xus, cæterisque agnatis & cognatis, Leges Civiles certum  
lugendi tempus præscribunt, sed secundum pietatis  
rationem & animi sui patientiam, prout quisque vo-  
luerit lugendos relinquunt *L. parentes XXIII. ff. de his qui  
not. infam. Si Nicephoro Calisto lib. XII. histor. cap. 30.* cre-  
dimus; In Chubda civitate, quæ vicina est civitati Tan-  
gast in finibus Indiæ, præfectum mortuum, lege ita ju-  
bente, conjuges ejus perpetuò lugent, neque unquam  
à sepulcro discedunt, pullâ veste indutæ, & capite  
novaculâ rasò. De Græcis nihil habeo quod dicam,  
nisi quod *Solon Atheniensibus* flebiles lamentationes  
& cætera dolorem testantia, velut inania & nihil vitæ  
proficientia sustulerit, & *Lycurgus Spartañorum Legis-  
lator Lacedæmoniis* II. dierum spatio luctum termi-  
naverit, teste *Plutarcho.* De antiquis Germaniæ popu-  
lis refert *Tacitus*, libello de Moribus Germ: *Lamenta &  
lacrymas citò, dolorem & tristitiam tardè ponunt. Feminis lu-  
gere honestum est; viris meminisse.* Non luxisse mortuos  
Germanos nostros, cæterosq; Celtas præter *Tacitum*  
testatur quoq; *Plutarchus* in Consultatione ad Apol-  
loni-



lonium his verbis; *Ex ipsis verò barbaris, si qui luctum exercent, non animosissimi Germani, non Galli, aut si qui alii generoso pleni sunt spiritu, id faciunt, sed Aegyptii, syri, aliq; horum similes.* In V. Testamento uniforme luctus tempus non reperitur. Aegyptii mortem Jacob Patriarchæ luxerunt septuaginta dies *Gen. L. 3.* nisi fortè XL. dies *ἐν τῷ Οἴκῳ* connumerantur XXX. diebus fletus ut junctim constituent LXX. ut observat Dn. D. Calixtus ad hunc loc: *Pererius in Comment. Dicitur, inquit, Flevitque eum Aegyptus septuaginta dies. Non est intelligendum Aegyptios per septuaginta dies continenter lacrymas fudisse, nam ne ipse quidem Heracitus, etiamsi totus lacrymis exstillasset, tamdiu lugendo esse potuisset. Vocabulo igitur luctus significatur totum id, quod circa funus exhiberi solet, nempe cum homines habitu & personâ cultuq; funebri amitti prodeunt, quod hodieq; apud Christianos solemne est.* Aaroni & Moyse solemnem luctum exhibitum à Filiis Israel per XXX. dies *Numeror. cap. XX. & extremo Deuteron. v. 8.* legimus. Pium Principem ac Patrem Patriæ, Regem Josiam omnes ordines luxerunt, Jeremias maximè, omnesq; cantores atq; cantatrices lamentationes ac lesos, quos Jeremias ediderat, per complures annos lamentabili voce & cantu lugubri recitarunt. *II. Paral. XXXV. 24. 25.* Judam quoq; Machabæum per multos dies luxisse populum Israel, docet *I. Lib. Machab. cap. IX. 20.* Legitimum verò luctus tempus apud Judæos XXX. diebus fuisse circumscriptum, ex Josepho docet S. Ambrosius initio Orationis de obitu Theodosii, de luctus defunctorum tempore agens: *Utraq; observatio, ait, habet auctoritatem, quâ necessarium pietatis impletur officium; luctus quidem legitimus & idoneus fuisse tempus triginta dierum apud Judæos, ex Mosaicis legibus Josephus (lib. IV. ἀρχαιολογίας cap. VIII) tradit. Non prius licebat cubile attingere, quàm ab rasa fuisset, lugubremque habitum induisset atque propinquos & amicos eluxisset. Cum autem*  
triginta



triginta dies in hoc luctu perfecisse: (sufficiebant enim bene institutis tri-  
ginta dies illi ad lacrymas & luctus charissimorum.) tunc poterat ad nu-  
ptias & matrimonium se conferre. Sed & alibi, ejusmodi lu-  
ctum in funeribus ferè septem tantummodò dierum  
fuisse apud Judæos, legimus. Brevior ergò fuit, vel lon-  
gior, pro dignitate mortui. Docet id *Maymonides H. Efel* cap. XIII. med. verbis, ut latina ea habentur apud  
*Schickardum de Jure Regio Hebr. cap. VI. Non desinent*  
*mortuum ultra triduum (lacrymantes) nec lugent, ultra se-  
piduum (in terrâ discalceati sedentes) intellige hoc de vul-  
go. Nam sapientia studiosos plangunt pro modulo eruditionis il-  
lorum. non tamen quempiam desinent ultra mensem, nec lugent*  
*ultra annum. Ecce enim nunquam habuimus majorem Mose no-  
stro Præceptore, & de illo scribitur (Dent. ult. vers. 8.) tri-  
ginta diebus finitum esse sletum, sic nec ullum habuimus doctio-  
rem R. Jehudâ sa. Eto (qui à morum honestate sic deno-  
minatus, collegit librum Mischnajot, Imperatori An-  
tonino familiariter notus, è familiâ Hillelis & ipsius  
Davidis, itaque Christi cognatus juxta carnem.) & tamen*  
*non ultra XII. menses continuaverunt luctum. Parentes tamen*  
*mortuos liberi lugent per annum. Vide Buxtorfium Sy-  
nag. Judaic. cap. XXXV. Servos verò non plangunt, nec*  
*minorenes, teste Maymonyde H. Efel cap. 12. ant. fin. Do-  
lorem moderatum & externa itidem hujus luctus si-  
gna, non improbarunt Christiani Doctores veteres.*  
*Quod si verò fines decentiæ transenderet planctus &*  
*luctus, aut aliquid affectati, ut fit interdum, resiperet,*  
*(quem S. Chrysostomus muliebrem morbum vocat Homil.*  
*LXI. in Job. circa fin.) non defuerunt hortatores, qui*  
*lugentes intra cancellos rationis revocarent. Deslea-*  
*mus (mortuos) sed non præter decorum, inquit Chryso-*  
*stomus Homil. 3. in Epist. ad Philipp. Ignoscimus matris*  
*lacryis*



ἀποθέωσις.

lacrymis, sed modum querimus in dolore, ait Hieronymus Epistol. XXV. ad Paulam super obitu Blæsillæ. Permittantur pia corda charorum, de suorum mortibus contristari, dolore sanabili & consolabiles lacrymas fundant, dicit S. Augustinus Sermon: XXXIV. de verbis Apostoli. Non culpamus affectum, nisi cum excedit modum, inquit Bernhardus Sermon. XXVI. in Cantica. Grandis enim in suos pietas, impietas in Deum est, ait Hieron: loc: cit. De tempore verò luctûs varias constitutiones & observationes vide apud Lorinum ad Cap. IIX. Actor. v. 2. Tholosanum Syntagm. Juris Universi Lib. II. cap. 14. De consecratione autem & θεοποίησις Gentilium, quomodo nempe fatua Gentilitas, nonnullos vitâ functos, post delatum sepulturæ honorem, modò citiùs, modò tardiùs, certis quibusdam ritibus & ceremoniis in deos retulerit, (quam rem pulcherrimâ narratione exponit in vitâ Antonini Herodianus) vide differentem Kirchmannum lib. IV. cap. XIII & XIV. Redolet istam Ethnicorum ἀποθέωσις superstitiosa Papalis Canonizatio, quâ Pontifex Rom. per suam, quam sibi sumit, omnipotentiam, sanctos esse jubet & incertum divorum ordinem adscribit post fata, benè de se meritos, de cætero sæpè pessimos. Vide Henricum Kornmannum de miraculis Mortuorum parte VIII. c. XX. Narrat Guliel. Camdenus Strabo ille Britannicus in Britannia sua pag. 131. Henricum VII. Regem Angliæ sanctas Henrici VI. Regis virtutes tantoperè admiratum fuisse, ut cum Julio II. Pontif. Rom. egerit, de illo inter Divos referendo. Sed (addit) quo minus hoc fieret, in causâ erat Pontificis avaritia, qui pro Regis Apotheosi nimis magnam pecuniæ vim exegit, ut videretur non Principis sanctitati, sed auro honores illos delaturus.




ULB Halle 3  
002 684 632




Vd 17











B.I.G.

Farbkarte #13

# CULTURA

## VETERUM.

five

ANTIQUIS RITIBUS SE-  
PULCHRALIBUS

orum, Græcorum,  
um & Christianorum

UTATIO SEPTIMA.

*Quam*

D. O. M. A.

PRÆSIDE

ANDR. QVENSTEDT.

L. FACULT. PHILOSOPH.


ADJUNCTO,

*publica Ventilationis subicit.*

D. LO MÆUS Sanghorst/  
Oldenburgensis.

*Ad diem 2. Decembr. horis matutin.*

In Auditor. Philosoph.



WITTEBERGÆ

CHÆLIS Wendt / Anno MDCXLVIII.

13

1698 13

